

quis inspecta, deprehendere. Quod si et tu ita prospicere potueris insidias diaboli et cavere, sacrificium Deo columbas obtuleris. »

Sed, si columbæ illæ lacte sunt lotæ, adeoque valde candidæ, quid opus eas inspicere per examen? Id nimirum vult Spiritus sanctus, ut in examine conscientiæ etiam bona nostra opera inspiciamus et examinemus, quæ videntur esse lactea, an bene facta sint, et nullo aspersa nævo. Cujus doctrinam præbuit ipse Deus, dum omnia opera sua examinans quasi et inspiciens singulatim, vidit quod essent bona, adeo ut etiam lucem inspexerit: *Et vidit Deus lucem quod esset bona*. Quæ caligo poterat esse in lumine? Nimirum voluit, ut nos omnia opera nostra ad trutinam revocemus, etiam quæ lucida et lactea apparent, juxta id Job: *Verebar omnia opera mea*, cap. IX.

VI. Frequens et pius usus sacræ confessionis et communionis. Quando Christus Hierosolymam intrare ad virtutum omnium consummationem et gloriosissimam dæmonis, mortis et peccati debellationem voluit, mandavit discipulis duobus, ut asinam sibi adducerent: *Solvite et adducite mihi*; qui solverunt et adduxerunt, et Christum ei imposuerunt, Matth. XXI. Vis tu ad perfectionem ascendere? Vide ut patres spirituales solvant a peccatis animam tuam, quoties alligatam vineulo aliquo peccati noris. Nec hoc solum, sed roga insuper ut adducant eam ad Christum, hoc est, instruant, corrigant, media emendationis præscribant, vias virtutis acquirendæ demonstrant; demum Christum asinæ in sacra communione imponant, prius tamen vestibis discipulorum, hoc est, sanctis virtutibus instratæ. Asina vero Christum caute et suaviter portet, quemadmodum asini ne impingunt pedibus ne succussant equitem, nec in lutum inrant, cum evitare possunt.

VII. Seria resolutio ad proficiendum quotidie sine dilatione. Docet hoc sapiens illa mulier, Prov. XXXI. quæ ex hoc laudatur, quia: *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum*. Quod si ad fortia manum mittamus debellando primaria nostra vitia per actus heroicos, nullo fere negotio reliqua expugnabimus: diffugiet totus hostium exercitus, si Goliath fuerit prostratus. Sed manus applicanda est, et quemadmodum mulier illa: *Operata*

est consilio manuum suarum, hoc est, statim executi sunt sua consilia, quasi consilia in manibus fuissent; ita agendum nobis. Incipiamus paulatim a minoribus præliis ascendere ad graviora. Quod si facere recusemus, culpa nostra peribimus. Chronicon Alexandrinum refert mirum Theodorici regis Rom. factum. Vidua quædam, dicta Juvenalis, regi quæstæ est, quod jam toto triennio causa ejus protraheretur in curia, quæ biduo expediri facile potuisset. Vocati a rege iudices qui causam ventilabant, mandatum accipiunt ut, quam fieri possit citissime, viduæ litem terminent; quod et fecerunt, bidui spatio, uti vidua prædixerat, causam expedientes. Tum Theodoricus iudices adesse jubet, qui lætæbundi advolant, quasi rem bene administrassent. Tum interrogat: Qui factum est ut bidui spatio expediveritis quod spatio trium annorum non fecistis? Iis respondentibus: Quia majestas vestra ut id faceremus mandavit. Rex dixit: Quando eum vobis detuli magistratum, nonne omnes causas, et imprimis viduarum commendavi? Mortem commeruistis, qui causam quorum dierum triennio protraxistis; eoque momento jussit illis capita amputari. Jam tibi, quisque es, causa animæ tuæ demandata est quanto citius expedienda, quia nec biduum tibi promissum. Et quomodo hoc negotium salutis tuæ, omium maximum, non aggredieris, sed de die in diem differs? Quid respondebis Deo? Laborandum est, ais. At quam brevis labor! Et quomodo ad præmium accedes sine labore? *Si quis non vult operari, nec manducet*, ait apostolus, II. Thessal. III.

Ergo, auditores, arripiamus panes istos, si crescere velimus. David certe Psal. CI. ait: *Arui cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Sed cur obliviscimur hunc panem, qui materialem non obliviscimur? Nonne Pharisæus ille in convivio sedens cum Christo, quasi epulas convivii pro nihilo duceret præ cœlesti illo, dixit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. XIV. Solus enim ille panis satiabit appetitum nostrum. Quare ut ad panem illum aliquando perveniamus, crescere studeamus, atque ut crescamus, et inter viros recenseri, digni cœlesti mensa, mereamur, de septem istis panibus, quos hic proposuimus, indesinenter comedamus.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. VII.

IN illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: a fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvæ, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

CONCIONES.

- I. Triplex arbor mala, peccatum, concupiscentia, voluptas: earundem fructus.
- II. Exponitur sententia Christi in arboribus steriles.
- III. Cur requirat a nobis Deus bona opera.
- IV. Quinam frustra dicant Deo: Domine, Domine.
- V. Mendacium quam sit fugiendum.
- VI. Quinque pseudoprophetæ cavendi, mundus, caro, dæmon, hæretici, divinatores.
- VII. Hypocritarum indicia.
- VIII. Fructus hæreseos.
- IX. Hæretici depinguntur.

X. Documenta et mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Arbori bonæ similem debere esse hominem.
- II. Homines ambulantes velut arbores.
- III. Quare retineant perversos ne converti, et bonos fructus ferre possint.
- IV. Quare retineant justos, ne peccare queant.
- V. Perfectio christiana quibus in rebus potissimum consistat.

CONCIO I.

TRIPLEX ARBOR MALA, PECCATUM, CONCUPISCENTIA, VOLUPTAS; EARUMDEM FRUCTUS.

- I. Peccatum, ejus fructus: 1. Apertio oculorum. 2. Auditas. 3. Pudor. 4. Remorsus conscientiæ. 5. Metus judicii divini. — II. Concupiscentia: 1. Gignit pugnam spiritum inter et carnem. 2. Impedit a bonis operibus. 3. Causat inquietudinem. 4. Ad peccandum trahit. 5. Mentem obscurat. — III. Voluptas: 1. Eripit homini mentem. 2. Effeminationem reddit. 3. Damnis temporalibus afficit. 4. Desinit in amaritudinem.

THEMA.

Non potest arbor mala bonos fructus facere.
Matth. VII.

Malæ arboris, auditores, mali etiam surculi sunt. Mala utique arbor fuit lignum scientiæ boni et mali, quia primos nostros parentes et

nos cum illis perdidit misitque in exilium, sed nec meliores surculi, qui ex illa prodierunt. Sublata est quidem arbor scientiæ mali et boni; genuit tamen ex se, et post se reliquit alias tres arbores, quæ pestifero suo veneno ingentem in mundo stragem edunt perduntque innumeros homines. Sunt autem peccatum, concupiscentia, voluptas: concupiscentia est mater, (cujus maritus quasi, adeoque peccati pater, est voluntas propria) peccatum est proles, voluptas est semen. Ergo ut nosse et cavere has arbores possimus videamus earum fructus.

I. Est peccatum, cujus typus erat arbor scientiæ boni et mali, quæ primis nostris parentibus quinque pestilentes et amarus fructus attulit; quorum primus erat apertio oculorum: *Aperti sunt oculi amborum*, ait s. textus. Ante peccatum enim, vel etiam in peccando, plane cæcus est homo, dum nequaquam videt, quantum

mali in peccato sit : at continuo post peccatum aperiuntur ei oculi ; clarissime enim videt se, pro exigua et brevi peccati voluptate maxima damna incurrisse et sempiternum malum incursum. Ita post peccatum primorum parentum aperti sunt oculi eorum ; quia tunc advertere cœperunt, quam male egerint, quam miserum in statum sese ex optimo devolverint, quam vērax sit Deus, qui hoc eis prædixit, quam mendax contra dæmon in promissis sibi ab eo factis, quam grave sit Dei voluntati non obedire, etc. Ita ægrotantes incipiunt æstimare bonum sanitatis : « Experta enim morbi molestia, evidentior fit etiam jucunditas sanitatis, » inquit S. Augustinus, lib. XIV. de civit. cap. XVII. Denique : « Fit quotidie in nobis ait Serapion scriptor Græcus, quod in primis illis hominibus factum est : quando peccamus, tunc cæci sumus ; ubi peccavimus, tunc demum agnoscimus, quantum mali admisimus, nostrique facti nos pudet, tædet ac poenitet. » In articulo mortis reos et captivos nos videmus, quod non vidimus prius ; uti milites regis Syriæ, percussi cæcitate, adducti in Samariam, viderunt se in medio hostium, IV. Reg. VI.

Secundus, erat nuditas ; quia : *Cognoverunt se esse nudos.* Propter peccatum enim spoliatur plurimis et maximis Dei ornamentis et pretiosissimis virtutum cœlestium vestibus. Ita legimus, Exod. XXXII. per peccatum idololatriæ spoliatum fuisse populum Israeliticum inauribus et præsidio divino, adeoque inter hostes nudum et imbellem constitutum. Fructus hic peccati est, quod hominem Dei gratia spoliat, insuper speciali ejus præsidio destitutum deserit et diaboli insidiis atque injuriis exponit.

Tertius, erat pudor et confusio animi. Cum enim viderent primi parentes se esse nudos sentirentque in se motus concupiscentiæ rebelles rationi ; inde erubuerunt et suam nuditatem texerunt foliis ficuum. Ita nimirum et peccatum pudorem et ignominiam generat, quam ut tegat peccator, ad inanes excusationes et peccati palliationes confugit. Hinc apostolus ad Rom. VI. ait : *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ?*

Quartus, iudicium ac testimonium conscientie accusantis et condemnantis : id quod apparuit in Adam et Eva, qui cum audissent vocem Dei, absconderunt se a facie ejus. Ipsum ergo peccatum fit peccatori tinea, perpetuo eum rodens, juxta id Isa. L. *Tinea comedet eos.* Unde bene dixit Musonius, apud Gellium : « Cum quis per voluptatem aliquid turpe gessit, quod suave est, abit : quod turpe et triste est, manet. »

Quintus, metus divini iudicii et vindictæ, quod testatur Adam dicens : *Vocem tuam, Domine, au-*

divi et timui. Magis adhuc id expertus est ejus filius Cain, qui, ob necem fratris, totam vitam pavidus ac profugus egit ; necnon Orestes ille matricida, qui ob scelus admissum nullam requiem invenire poterat, nulloque loco consistere : sed cruentæ matris species et flammivomi oculi per magnam orbis partem vagum ac profugum et velut exulem agebant.

Porro peccati pater non est nisi propria et depravata voluntas. Quemadmodum ergo Evæ comestio nihil Adæ et posteris ejus nocuisset, nisi comedisset ipse ; ita si concupiscentia solum nostra colludat cum peccato, absque voluntatis consensu, nullum admittemus peccatum. At ubi voluntas consentit, tum committimus. Itaque voluntas illa, pestifera etiam arbor est ; quia tam malam filiam (peccatum) et ex ea nepotem, infernum gignit. Hinc enim S. Bern. serm. III. de resurrect. ait : *Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit.* Nec videtur posse Deum hominem gravius punire, quam si eum relinquat propriæ voluntati ; quomodo olim gentiles propter immaniam eorum scelera : *Tradidit in desideria cordis eorum,* ad Rom. 1. Est igitur et voluntas ista, pestifera quædam arbor ; sed de hac alibi dictum.

II. Est concupiscentia, mater peccati, ut docet S. Jacobus, c. 1. epistolæ : *Concupiscentia, cum conceperit parit peccatum :* de eadem, 1. Tim. VI. dicit apostolus : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Primo enim, gignit in homine bellum intestinum carnis in spiritum, et spiritus in carnem : *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem :* hæc enim sibi invicem adversantur, inquit apost. ad Gal. V. Bellum porro hoc describit Cassianus, coll. IV. c. XI. « Caro, inquit, luxuriis ac libidine delectatur ; spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa concupiscit satiari somno, repleti cibo ; hic vigiliis et jejuniis ita saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum, somnum cibumque velit admittere : illa cupit exuberare copiis universis ; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est : lavacris illa nitescere et quotidianis adulantium cuneis appetit constipari ; hic squalore sordium et inaccessiblei eremi vastitate congaudet : honoribus illa et laudibus confectur ; hic irrogatis sibi persecutionibus injuriisque lætatur. » Ob hanc lætam apostolus exclamat ad Rom. VII. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus !* Hinc aliqui, juvenes præsertim, pene ad insaniam rediguntur, turpissimarum voluptatum incendio æstuant : alii inauditas libidinum rationes adveniunt, quibus belluarum cupiditates longe superant. Denique, ut hanc feram virtutis

studiosi edomarent, mira excogitarunt et acerbæ pharmaca, vigiliæ, humicubationes, cilicia, flagella, catenas, spinarum aculeos, jejunia, loricas, etc. siquidem ea Samsonem robustissimum, Salomonem sapientissimum, Davidem sanctissimum sibi subjugarat.

Secundo, impedit animum a virtutum operibus, quomodo lapis alligatus aviculæ, impedit eam ; quominus evolare in sublime queat. Hinc apostolus, loco cit. subdit : *Hæc sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Est enim homo conflatus quasi ex angelo et bestia : animus velut angelus ad cœlum et virtutem tendit ; corpus velut bestia ad terram et sensualitatem inclinat. Clementi Alexandrino, lib. IV. stromatum est quasi centaurus, partim rationis particeps (secundum animam (partim rationis expers (secundum corpus). Atque hinc illæ difficultates in orando, jejunando, vigilando, castitate, sobrietate, mansuetudine, etc. ob pondus concupiscentiæ, quod ad somnum, eibum, libidinem, ebrietatem, iram inclinat et violenter animum trahit. Quare auctor operis imperf. hom. VIII. zizaniis eam comparat, quæ triticum in terram trahunt : *Sicut herbas suffocant triticum,* inquit, *sic et concupiscentiæ carnales suffocant disciplinam.* Quare zizania cupiditatum malarum evellenda et præcidenda sunt, si crescere animo velimus. Scorpius vivens necat, occisus sanat ; ita concupiscentia dum in nobis viget ac viret, perdit nos : at subacta et mortificata, mirum in modum prodest nobis.

Tertio, causat inquietudinem : *Semper enim cupidi,* inquit D. Thomas, opusc. VII. *solliciti sunt acquirere non habita, et habita custodire.* Ibidem asserit concupiscentiam hominis nunquam satiari, quia cor hominis factum est ad recipiendum Deum ; quo dum caret, semper inquietum est, quocumque tandem alio perfruatur bono. Quodque amplius est, concupiscentia dum pascitur re desiderata magis ejus sitis accenditur : uti de carnis vitio testatur Oseas, cap. VII. *Omnes adulterantes,* inquit, *quasi clihanus succensa a coquente,* Hebr. *incalescunt uti fornax succensa a pistore ;* quia ut S. Ambros. tr. XIII. ad neophytos ait : « Stupri assiduitas luxuriam carnis non cohibet, sed accendit, dicente propheta : Omnes fornicantes velut ardens clihanus corda eorum. Prædatoris quoque rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat ; scriptum est enim : Qui amat pecuniam, non satiabitur pecuniis, » Eccl. Similiter S. August. lib. de continentia, et serm. XLV. de temp. docet, concupiscentiam cedendo augeri, resistendo minui : *Pugna,* inquit, *repugna, noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare.* Ita egit David, qui cum aquæ desiderio teneretur, allatam sibi

aquam non bibit, sed effudit, ne videretur bibere sanguinem virorum, qui præsentissimo vitæ periculo aquam illam attulerant, II. Reg. XXIII. Sic corvus etiam sitiens abstinet aqua pluvia, quam noxiam sibi novit ob profluvium ventris, Pier. lib. XXIII. hierogl.

Quarto, fortiter ad peccandam trahit, et nisi ei resistatur, peccatum in homine gignit. Ita enim testatur S. Jacobus, in ep. c. 1. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ; deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Allicit ergo ad peccatum et tentat hominem, sicut Eva Adamum monstrando illi pomum ; sicut febris tentat febricitantem, et allicit ad bibendum aquam, sibi licet noxiam et subinde mortiferam ; sicut lena virum tentat abstrahitque ab uxore, ad fornicandum secum ; sicut scabies ad fricandum provocat.

Huic porro concupiscentiæ nostræ sæpe etiam insinuat se diabolus, solertissimus cupiditatum nostrarum indagator, easque in nobis acuit atque incendit ut in ruinam nos impellat. Atque hinc abbas Achilles dixit, concupiscentiam esse *manubrium dæmonis ;* quo nimirum ille securim tentationis arripit ad nos excidendos.

Quinto, mentem et rationem obseurat, ac quandoque extra se rapit. Primum illud testatur Clemens Alexandrinus, l. II. strom. « Quæmadmodum exhalationes, inquit, quæ ex terra et lacunis et voraginibus oriuntur, constantur in caliginem et nimbosam vertiginem : ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes et ante eam effundente intelligentia, itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate, etc. » Alterum Origenes, hom. VIII. in Num. « Sicut, inquit, hi qui dæmone repleti vel qui mente sua alienati sunt, non sentiunt si vulnerentur, quia naturalibus sensibus carent : ita et nos vel cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitiiis inebriati sentire non possumus quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus. »

III. Est voluptas (sive ea in carnis illecebris, sive in honore et opibus quæretur). Hæc enim est illecebra et semen concupiscentiæ : unde Plato, teste Tullio, et Plautus in mercatore, voluptatem appellavit : *Malorum escam, quod ea non minus homines, quam hamo capiuntur pisces.* Cato vero, apud Cicer. l. de senect. nullam esse capitaliorem pestem corporis voluptate dicebat, quod inde omnia scelera nascerentur. Antisthenes etiam quodam prædicante voluptatem : *Hostium,* inquit, *filiis contingat in deliciis vivere,* Laert. l. VI. de vitis philosophorum, c. 1.

Primo igitur, eripit homini sanam mentem et

reddat quasi insanum, teste eodem Antisthene, qui dicebat (ubi supra) se malle insanire quam affici voluptate: *Insaniam enim aufert medicus: voluptas cum mentem eripiat homini, via sanabile malum est.* Offendit mentis aciem, offuscat iudicium, consilii celeritatem impedit, memoriam debilitat, facitque ut homo nihil altum, nihil magnificentum et divinum agere queat. Circe illa Homerica est, quæ blando suo veneno homines dementat et in bestias commutat. Patuit in Salomone, quem voluptas carnis ex sapientissimo reddidit stolidissimum, ut suarum concubinarum idola adoraret, earum mancipium fieret, totque beneficiorum Dei sui oblivisceretur: patuit in Claud. Cæsare, qui ventri et voluptatibus deditus in tantam mentis stupiditatem et oblivionem devenit, ut occisa Messalina conjugem, paulo post mensæ assidens quæreret, cur domina non veniret; atque multos ex his quos capite damnaverat, postero die in concilium et ad alæ lusum invitaret, teste Suetonio, in ejus vita.

Secundo, mollem et effeminatum reddit, adeo ut Democritus voluptatem morbo comitiali, qui repente omnibus viribus hominem destituit et in terram prosternit, compararit. Expertus id est fortissimus Hercules, cui voluptas clavam, quam nec Cerberus potuit eripere, extorsit, ac pro eo pensum ac fuscum digitis ejus aptavit, cum illius Iolis impuros amores sequeretur. Eadem dum vires et virtutem Romanorum enervavit, Hannibalem victorem effecit, inquit Livius, dec. III. l. III. eadem Sybaritas Italiæ populos perdidit. Tam hi luxui et voluptati addicti erant, ut convivium celebraturi, anno prius per feminas sumptuosissime vestitas invitarent, artes quæ sono constabant, e civitate ejicerent, ne qua ratione interpellaretur quies, Athen. lib. XI. cap. VI. Illi igitur cum docuissent equos suos ad tibiam saltare tempore convivii, hoc intelligentes Crotoniatæ bellum ipsis intulerunt et tubam quidem canentem classicum non sumpserunt, sed tibias, et tibicines, qui commisso prælio cantilenam canerent saltatoriam. Hanc audientes equi Sybaritarum, memores domesticæ disciplinæ excusserunt equites, et exultantes ac saltantes perturbarunt ordinem, itaque victoriam hostibus dederunt, Diod. lib. XII. Ælian. lib. XVI. cap. XXIII. Plin. lib. VIII. cap. XLII. Quis in equis istis non videt voluptatis typum, quæ et ipsa hominem e sella rationis et imperii excutit, hostibusque in prædam dat? Cum enim in tentatione aut mortis agone pugnandum foret cum dæmone, tum voluptas hominem abripiens ad solitas voluptatum delicias, mente saltem et cogitatione, impedit a pugna spirituali, et hosti tartareo tradet.

Tertio, damnis etiam temporalibus afficit; nam et dolores parit et corrumpit valetudinem et crumenam exhaurit, famam quoque denigrat, et affligit animum conscientia malefactorum, et mortem affert immaturam. Nimis hæc omnia manifesta sunt: nec negare potuit Heliogabalus Imperator fœdum voluptatis mancipium, ideoque Sardanapalus dictus; cui cum familiaris quidam, immanem ejus detestatus luxum ac luxuriam forte objiceret; annon metuat ne ad egestatem aliquando redigeretur, respondit: *Quid melius, quam ut ipse mihi suus hæres sim et uxori meæ?* Plato cum videret Agrigentinos magnis ædificare impensis, similique modo cœnare, dixit: *Agrigentini ædificant quasi semper victuri, et comedunt quasi semper morituri,* Ælian. lib. II.

Quarto, tandem desinit in amaritudinem, et postremo quidem in æternam. Pythagoras ille vetuit gustare ea, quæ nigram habent caudam. Hujusmodi autem esca est voluptas, quæ initio quidem blanditur, in funestum tamen pœnitentiæ finem desinit. Siren est, quæ muliebri quidem arridet facie, caudam tamen habet venenosam ac serpentinam: Hypanis est fons, qui teste Herodoto, l. IV. quinque dierum via dulces, sed exiles fundit aquas; deinde, post quatuor dierum iter fundit amarissimas: pardalis est, quæ suavi odore suo allicit ad se captas, mox tamen corripit et dilaniat, Plut. lib. contra volunt. Ita enim videmus honores mille afferre curas et molestias: gulam desinere in nauseam, capitis dolores, febres, cholicas, catarrhos: libidinem in vomicas, luem veneream, carcinomata, infamiam, damnationem, ut vere dixerit Proverb. V. Salomon: *Fovus distillans labia meretricis, novissima autem illius amara quasi absinthium.* Idque ipse procul dubio nimium quantum expertus est, dum ad finem vitæ sensit aculeum conscientie, vitæ tedium, (uti scribit Eccles. II. *Idcirco tædium me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus, corporis morbo et dolores, regni dilacerationem, nominis ignominiam, hæredem stolidum, Roboam filium.* Experto igitur crede Ruperto. Describit Dio, orat. IV. de regno, Persarum festum, quod saccorum dies appellabatur, quo ex captivorum numero aliquis collocatur in regio throno regio vestitu; debetur et concubinis utitur illis regni diebus pro libitu; quidquid vult, impune agit: finitis autem illis diebus exiit, virgis cæditur, et suspenditur. Ecce vero hoc Persæ faciunt? «Nonne ideo, inquit Dio, quod sæpenumero stulti homines et pravi talem potestatem et nomen adipiscuntur: deinde, aliquanto tempore superbe viventes, turpissime atque ocissime perduntur?»

Cogitet jam quisque num talem subire sortem, talique frui voluptate vellet. Nemo, credo, ita desipiet. Quare, auditores, aperiemus oculos, non jam cum Adamo et Eva post degustatum pomum, cum viderunt se deceptos esse et Deum gravissime offendisse, sed antequam gustemus. Fugiamus arbores istas pessimas, ne tandem amarus earum fructus cogamur devorare, et in hoc et in altero sæculo.

CONCIO II.

EXPOSITUR SENTENTIA CHRISTI IN ARBORES STERILES.

I. Omnis arbor. — II. Quæ non facit. — III. Fructum. — IV. Bonum. — V. Excidetur. — VI. Et in ignem mittetur.

THEMA.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Matth. VII.

Pythagoræ symbolum, auditores, inter alia fuit: *Cum tonat, terram tange*, hoc est, cum Dei iram sævire animadvertis, humilia te, memor originis et conditionis tuæ, et manum ad laborem beneque operandum admove. Horrendum in modum tonat Christus in hodierno evangelio, cum ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Quis non contremiscat? Quis non terram tangat, et coram Deo iudice ad terram usque se humiliet, ac bene operari studeat? Sane cum præcursor Christi, Joannes, his eisdem verbis detonaret in Judæos, perterriti dicebant: *Quid ergo faviemus?* Quibus respondet Joannes: *Qui duas habet tunicas, det non habenti: et qui habet escas similiter faciat.* Nos ergo dum ipsum Christum iudicem hac voce tonantem audimus, quid, quæso, faciemus nos? Nonne terram tangere, nonne humiliari et honorum operum fructum polliceri Deo nos oportet? Hoc ergo ut præstemus, audiamus et expendamus fulminantem illam Christi sententiam.

I. Inquit: *Omnis arbor*; non utique proprie dicta et lignea, sed metaphorica seu homo, qui etiam ex gentilium philosophorum sententia est *arbor inversa*, radicem, hoc est, caput et rationem, sursum versus cælum unde nutritur, habens: ramos vero, hoc est, pedes in terra deorsum. Unde a Clemente Alexandrino vocatur *planta cælestis*.

Arbor ait, non planta, non arbustum aut frutex quia adultos intelligit et ratione utentes; ab his honorum operum operum fructus exigit, non ab infantibus, puerulis aut rationis usu destitutis; quemadmodum nec a tenellis plan-

tis speratur aut exigitur fructus, donec adolescent, ab adulto filio requirunt parentes studium, laborem, amorem et observantiam, non item ab infante.

Omnis, quia nemo excipitur, non reges, non divites, non agricolæ, non milites, non mendici, non juvenes, non infirmi, et similes, qui dicere solent, sibi non esse otium, aut vires ad orandum, jejunandum, confitendum, communicandum, etc. Quid enim ait Scriptura de principibus terræ, qui viam sapientiæ ignoraverunt et spreverunt? *Exterminati sunt et ad inferos descenderunt*, Baruch III. Quid de Jechonia, octodecim annorum adolescente? *Vivo ego*, dicit Dominus, *quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Judæ, annulus in manu dextra mea. inde evellam eum*, Jer. XXII. q. d. si fuerit mihi conjunctissimus et charissimus, propter floridam adhuc ætatem, qua ad regnum evectus est aliasque præstantissimas dotes: ubi arbor mala et sterilis esse cœperit, excindam eum et evellam velut annulum e manu mea, abjiciamque in captivitatem, uti factum est. Nam post tres imperii vix degustati menses statim et ipse abductus est in Babylonem a Nabuchodonosore, fuitque captivus triginta septem annis, qui scelera patris sui cœperat imitari. Quid ait de Capharna, quæ dicta est Christi civitas, quod eam sua commoratione, miraculis, et doctrina præ cæteris condecorarit? *Et tu Capharna usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris*, Luc. X. Quid de propinquis et commensalibus Christi dicentibus: *Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti*, quid respondet? *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Nemo igitur, nemo excipitur ab hac lege. Cum cæduntur ad rogam ligna, parci solet quibusdam silvestribus arboribus, v. g. betulis aut quercubus, quia videlicet proceræ vel elegantes et speciosæ sunt. Non ita fiet cum hominibus, quisquis fructu caret, excidetur et in ignem mittetur, qualiscumque fuerit, aut quocumque loco steterit. Excisus e cælo est Lucifer, supremus et speciosissimus angelus: excisus e paradiso terrestri Adam, vir omnium sapientissimus et ornatissimus, orbis imperator: excisus e regno Saul, vir ad regnum natus: excisus ex apostolorum collegio Judas, quia honorum operum fructibus destituti inventi sunt.

II. *Quæ non facit*: non ait: *Fecit*. Licet enim olim multa bona feceris, si facere desiisti, peristi, et omnia perdidisti. Bona et præclara arbor fuerat rex Saul in ætate teneriore, multaque bona præstiterat: *Erat enim electus et bonus: et non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero et sursum eminebat super omnem popu-*